

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Consumpsere se quidam dum acta regum externorum
componunt, quaeque passi inuicem ausique sunt populi.
35 quanto satius est sua mala extinguere quam aliena posteris tradere! quanto potius deorum opera celebrare quam Philippi aut Alexandri latrocinia, ceterorumque qui exitio gentium clari non minores fuere pestes mortalium quam inundatio qua planum omne perfusum est, quam conflagratio qua magna pars animantium exarsit! quemadmodum Hannibal Alpes superiecerit scribunt, quemadmodum confirmatum Hispaniae cladibus bellum Italiae inopinatus intulerit, fractisque rebus, etiam post Carthaginem pertinax, reges pererrauerit contra Romanos ducem promittens, exercitum petens, quemadmodum non
40 desierit omnibus angulis bellum senex quaerere: adeo sine patria pati poterat, sine hoste non poterat!

Quanto satius est quid faciendum sit quam quid factum quaerere, ac docere eos qui sua permisere fortunae nihil stabile esse ab illa datum, munus eius omne aura fluere mobilius! nescit enim quiescere, gaudet laetis tristitia substituere, utique miscere. itaque secundis nemo confidat, aduersis nemo deficiat: alternae sunt uices rerum. quid exultas? ista quibus eueheris in summum nescis ubi te relictura sint: habebunt suum, non tuum finem.
50 quid iaces? ad imum delatus es, nunc locus est resurgendi. in melius aduersa, in deterius optata flectuntur. ita concipienda est animo uarietas non priuatarum tantum domuum, quas leuis casus impellit, sed publicarum. regna ex infimo coorta supra imperantes constiterunt, uetera imperia in ipso flore ceciderunt; iniri non potest numerus quam multa ab aliis fracta sint. nunc cum maxime deus extruit alia, alia submittit, nec molliter ponit sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias iactat. magna ista quia parui sumus credimus: multis rebus non ex natura
60 sua sed ex humilitate nostra magnitudo est.

Quid praecipuum in rebus humanis est? non classibus maria complesse, nec in Rubri maris litore signa fixisse, nec deficiente ad iniurias terra errasse in oceano ignota quaerentem, sed animo omne uidisse et, qua maior nulla uictoria est, uitia domuisse. innumerabiles sunt qui populos, qui urbes habuerunt in potestate, paucissimi qui se. quid est praecipuum? erigere animum supra minas et promissa fortunae, nil dignum putare quod speres. quid enim habes quod concupiscas? qui a diuinorum conuersatione quotiens ad humana recideris, non aliter caligabis quam quorum oculi in densam umbram ex claro sole redierunt.
70
75

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Benennen Sie die Z. 34 – 47 verwendeten Stilmittel!
2. Bestimmen Sie die syntaktische Funktion von **clari** (Z. 37)!
3. Erläutern Sie den Gebrauch von **sua** bzw. **eius** (Z. 48/49)!
4. Erläutern Sie das Zustandekommen der Formulierung **aduersis nemo deficiat** (Z. 52)!
5. Beschreiben Sie die Konstruktion **ista ... relictura sint** (Z. 53f.), und erläutern Sie den Gebrauch von **ubi**!